

Pergamena 15

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali

sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Pergamena 15

06-04-1371

+ In nomine Domini Dei eterni et Salvatoris nostri Ihesu Christi. Anno a Nativitate Eius millesimo trecentesimo septuagesimo primo, regnante seregnissima domina nostra Johanna, Dei gratia regina Ierusalem et Sicilie, ducatus Apulie, principatus Capue, Provincie et Folcalquerii ac Pedimontis comitissa, regnorum vero eius anno vicesimo nono feliciter amen. Die sexto mensis aprilis, none indictionis apud civitatem Potentie. Nos Angelus notarii Andree de Potentia, ipsius terre annalis iudex, Mathias Cappellus de Aulecta, puplicus ubilibet per provincias Principatus Citra et Ultra Serras Montorii ac Basilicate, reginali auctoritate notarius et testes subscripti ad hoc specialiter vocati et rogati, presenti scripto puplico notum facimus et testamur, quod, constitutus in nostri presentia nobilis vir Lodoficus de Stampis de Potentia, habitator terre Troge, non vi compulsus set sponte et volumptarie confexus fuit habuisse et manualiter recepissee causa mutui ab Adenolfo de Stampis fratri suo uncias decem in carlenis argenti, sexaginta per unciam computati. Quas dictus Adenolfus michi ad mei petitionem non spe futuri lucri set ex grata bonitate sua, necessitatibus nostris compatiens ad partes nostras sibi exinde affectuose et benignius mutuavit, et ipsas uncias decem in predictorum presentia recepi et habui ab eodem. Propter quod dictus Adenolfus promisit eidem Lodofico fratri suo usque dum ipse vixerit non quereretur nec molestaret dictum Lodoficum de dicta pecunia. Post mortem dicti Adenolfi dictus Lodoficus restitui debeat dictas uncias decem in manibus filiorum dicti Adenolfi. Qua propter in predictorum presentia dictus Lodoficus se obligavit filiis eiusdem Adenolfi vel cuicumque presenti instrumento facto apparuerit, ad penam unciarum auri

viginti quinque ac omnia bona sua mobilia et stabilia, seseque moventia ubicumque existentia, cum omni potestate capiendi propria auctoritate, nullo iudice vel curia expectato mandato, vendendi et qualibet abiectionis titulo distrahendi sine dierum prefinitate, puplica subastactione et solepnitate legali premissis; quausque filiis suis aut cum presenti instrumento sano apparuerit tam de predictis unciis decem quam omni dangno expensis et interesse quas et que proinde passi fuerint, stando in simplici verbo eorum, sint integre satisfacti. Nichilominus de solvendis eisdem filiis vel cuicumque instrumento sano apparuerit post mortem dicti Adenolfi ut supra et predictis omnibus adimplendis et observandis, in predictorum presentia dictus Lodoficus iuravit ad sancta Dei Evangelia tactu corporaliter sacralmento. Dictus Lodoficus renuntians omni iuri facto et conficiendo, canonico vel civili per quod seu per que a predictis obligationibus se posset deffendere vel tueri et potissimum [...] generalem renuntiationem non valere. Unde ad futuram memoriam et dictarum filiorum dicti Adenolfi cautelam presens instrumentum mutuactionis exinde factum est per manus mei predicti notarii meo solito signo signatum, singno et subscriptione mei qui supra iudicis ac signis et subscriptionibus subscriptorum testium roboratum. Quod scripsi ego predictus notarius qui predictis omnibus rogatus interfui et meo solito signo signavi.

+ Ego Angelus de notario Andrea analis iudex civitatis Potentie qui supra. + Ego diaconus Ioannes de Carruba canonicus Potentie interfui. + Ego presbiter Princeps Setazonus, archipresbiter Sancte Trinitatis interfui. + Ego presbiter Andreas de notario Roberto testis sum. +

Ego Antonius de Balba testis interfui. + Ego presbiter
Leonus de Ogerio de Potentia testis interfui.